



STUDIJSKA KNJIZNICA KOPER

R 14695

1549
Leh. Lat

46-F-32

D. GREGORII

NYSSÆ PONTIFI

CIS MAGNI BASILII

FRATRIS DE PAUPERI-

BVS AMANDIS ET BENI-

GNITATE COMPLE-

CTENDIS

ORATIONES DVÆ.

P. FRANCISCO ZINO

VERONENSI INTERPRETE.



Patauij Iacobus Fabricius Excudebat

M. D. L.

OPTIMO ATQVE CLA.

risimo viro Petro Contareno Patricio

Veneto Petrus Franciscus

Zinus S. D.



INSITA quidem sunt in animis nostris virtutum omnium semina, sed nulla tamen illarum est, quæ liberalitate & beneficentia naturæ hominis magis inhereat, eiq; aptior & accommodatior sit: nulla, quæ propius ad Dei similitudinem accedamus. Id quod ne ipsa quidem Antiquitas ignorauit, quæ de mortalibus bene merentem mortalem Deo similem, immò planè Deum esse censebat. Quare Diuina bonitas satis à nobis suspici collaudariq; non potest, quæ cùm omnes homines beatos esse uellet, iam inde ab ipsorum ortu consequendæ felicitatis rationē eis facillimam ac propè naturalem proposuerit. Quam quidem rationem non modo non abrogauit effectus homo Dei filius IESVS, sed ut reliqua omnia naturæ Legumq; bona multo perfectiorem ab solutioremq; reddidit. Ex illius enim promissione factum est, ut uulgata illa Veterum sententia non incertæ amplius opinionis, sed firmissimæ ueritatis uim obtineat. Et quo uehementius etiam ad promerendum excitaremur, uoluit quicquid benignè hominibus uel abiectissimis & pauperrimis ipsius nomine faceremus, id non hominibus sed sibi ipsi præstitum existimare, ut in hac re nihil sordidum, nihil abiectum, nihil humile, quo debeamus à souendis adiuuandiq; pauperibus auocari, sed omnia splendida, omnia digna Deo, Deo plena omnia uideantur. Deus enim hanc ad benignè faciendum propensionem animis nostris inseruit. Deus incredibilia illi atque diuina præmia constituit. Deo beneficentia sub hominum quis pauperum persona præstat. Deus deniq; efficitur, qui illam exercet & colit. Quæ cùm ita sint, cur uirtutem adeo facilem, naturæ quæ conuenientem tam pauci complectantur, haud facillè dixerim. Certè cùm & eam excolenti amplissima præmia, & aspernanti supplicia grauissima sint constituta, cuiq; debet esse gratissimum, ut ad illam

cape



essefendam ab omnibus quacumq; ratione compellatur atq; inflam-
 metur. itaq; cum superioribus diebus à studijs publicis striati rela-
 xandi animi, & uitandi caloris gratia, uir doctissimus, tuq; ama-
 tissimus Ioannes Christoforsonus Britannus & ego in Antonij Gi-
 berti Equitis ordinarissimi, atq; humanissimi iuuenis bibliotheca pluri-
 mis atq; optimis libris instructissima essemus, unaq; cum ipso ma-
 gna cum uoluptate uarios pro suo quique studio libros euoluere-
 mus, in codicem uetustissimum incidi, in quo cum alia inerant mul-
 ta pulcherrima à D. Gregorio Nyssa Pontifice Magni Basilij fratre
 conscripta, tum orationes duæ, quibus eleganter & pie ad aman-
 dos & benignitate complectendos pauperes cohortatur. Quis ego
 statim auidè tanq; thesaurum arripui, easq; uerbis latinis expressi,
 ut si tibi non displicuissent, cum illa D. Gregorij Nazanzeni eiusdem
 argumenti oratione, quam ad te antea miseram coniungerentur. Eas
 autem nō ideo donamus tibi, quo te in uirtutis stadio tam strenue cur-
 rentem incitemus, sed ut, quan-^{to} aliter non possumus, aliquam grati-
 animi significationem præbeamus, utq; labor hic noster utilior sit,
 eum uideant homines, se non modo Sanctorum Patrum orationibus,
 sed uiuis etiam atq; illustrissimis exemplis ad amandos adiuuandosq;
 pauperes inuitari. Hoc enim tempore in Rep. omnium præclaris-
 sima cernunt uirum summo ingenio præditum, e nobilissima, & opu-
 lentissima familia natum, florentem amicis, affinibus, propinquis
 plurimis, duobus etiam fratribus, qui summa cum hominum admira-
 tione maximos obtinent in ea Rep. dignitatis gradus, omnibus pos-
 sident in eam curam cū de omnibus, tum præcipue de pauperibus
 & agris hominibus promerendi, totis uiribus incumbere, ut nullus
 iam aut debeat, aut meritò se possit excusare. Te quidem ego ob
 eiusmodi uitæ institutum nō solum laudo, sed beatum etiam existimo,
 qui inuenta pretiosa illa Euangelica margarita à paucis cognita, à
 multis sprete, reliqua omnia contemnas & pro nihilo ducas. Quā
 multi summis in dignitatibus constituti, si uel earum uilitatem &
 molestias, uel istius studij decus & iucunditatem perspicerent, tibi
 maiorem in modum inuiderent. Breuissimum profectò est humane
 uitæ curriculum, & uix momēti instar obtinet, si cum eternitate cō-
 paretur. Citius, quā opinamur, aderit illa dies, in qua uel perpetuas
 scilicet pœnas, uel eternam pietatis coronam percipere nos oportet

tebit. Dum igitur licet, resipiscant mortales, & auaritiæ ac vultu-
latis reputato consilio, quod praua educatione, malæq; consuetu-
dine, & pessimis exemplis affecti complexi sunt, liberalitatem, bene-
ficentiam, misericordiam, & alius id genus uirtutes, tum ipsa ad-
ducti natura, tum tuo tuiq; similium exemplo concitati, cum Diui-
nis documentis impulsu colunt & exerceant, ut uel Dii sint, ut dice-
bat Antiquitas, uel de Deo promereantur, atq; ita tandem uerè eua-
dant Dii, ut ipsa clamat, & pollicetur VERITAS CHRIS-
TUS. Tu uerò, uir Dei, in hoc pietatis certamine, si ceteros su-
perasti, tecum ipse iam certa, te ipsum uince, laboremq; nostrum in ijs
uertendis orationibus boni consule. Vale. Patavij. 111. idus. Aug.
M. D. L.

EX LIBRO BEATI HIE-
ronymi Presbyteri de ecclesiasticis
scriptoribus.

Gregorius Nyssenus Episcopus frater Basili-
j Cæsariensis, ante paucos annos mihi &
Gregorio Nazanzeno contra Eunomium legi li-
bros, qui & multa alia scripsisse & scribere de-
cur.

D. GREGORII NYSSÆ
PONTIFICIS, MAGNI

BASILII FRATRIS DE PAV-

PERIBVS AMANDIS, ET

BENIGNITATE COM

PLECTENDIS

O R A T I O . I .



VI HVIC ECCLESIAE
presidet, atq; adeo omnes, qui se ve
ræ pietatis, & eius viuendi rationis,
quæ ex virtute est, magistros profi
tentur, hominibus illis sunt admodum similes,
qui grammaticam docent, & prima tradunt ele
menta literarum. Etenim quemadmodû hi pue
ros è parentum manibus susceptos adhuc infan
tes & balbutientes non protinus abditis disci
plinarum præceptionibus onerant, sed primò li
terarum formas insculpunt in cæris, earumq; no
mina declarant, & ipsorum manus per impressos
illos literarû ductus agunt & exercent, mox eos
ad syllabarum cognitionem prouehunt, atq; ita
deinceps ad verborum expressionem perducunt:
Sic ecclesie Duces initio documenta quædã, quæ
sint instar elementorum auditoribus proponunt,
deinde gradatim ea, quæ perfectiora magisq; pre

condita sunt, patefaciunt. Quoniā igitur duobus superioribus diebus cupiditatem illam, quę gulę ventrisq; voluptatem sectatur, castigauimus, hodierna item die iisdem de rebus me verba facturum ne existimetis, quod videlicet conueniat & carne non vesci: & à vino, cuius ferē risus & insania comites sunt, abstinere: & cohibere coquorum studium: & pincernarum manus miscendis porrigendisq; poculis fatigatas comprimere. De his enim & nos satis multa diximus, & vos consilium ad monitionemq; nostram re ipsa & factis comprobauistis. Quare dū primum hoc documentum excolitis, operę pretium est, vt ad ea vobis tradenda, quę maiora grauioraq; sunt, progrediamur. Est igitur ieiunii & abstinentię genus, quod à corpore & materia seiunctum est, cumq; animam duntaxat respiciat, ea re perficitur, vt à vitiis temperemus. atq; huius quidem ieiunii gratia etiam illud indictum est, vt à cibis abstineamus. Quod cum ita sit, à malitia ieiunate, cohibete rerum alienarum cupiditatem, à turpi & iniusto quęstu vobis temperate. Auaritiā Mammonę fame interficite. Nihil domi reconditū habete, quod sit per vim & rapinas comparatū. Quid enim proderit, ore carnem non attingere, si maledicentia fratrē laceres? Quanam erit vtilitas, si dum tua nō comedis

si solutum

4
medis, ea, quæ pauperis sunt per iniuriam surri-
pueris? Quæ porro pietas ista, si aquam bibens
struas fraudem, consuas dolos, & ex improbitate
sanguinem sitias? Quid? Nonne ludas est cum
Vndecim ieiunabat? attamen quia mores avari-
tiæ deditos non refrenauit, nihil ad salutem illi
ieiunium profuit? Quid? quod Diabolus, cum
spiritus sit corporis expers, nihil unquam edit omni-
no, & tamen propter improbitatem est sublimi il-
lo cecidit dignitatis gradu? eademque ratione nul-
lus Dæmonum est, qui, quod aut se obsoniis in-
gurgitet, aut immodicè bibat, ebriosusue sit, ac-
cusari possit. Natura enim à bibendi edendique
necessitate liberi sunt. Neque tamen iccirco vel
die, vel nocte, per aëra aberrare unquam cessant fla-
gitiorum authores & ministri. Nobis autem omni
studio moluntur insidias. Quippe liuore lique-
fiunt, & tabescunt inuidia, quod ad eam nos ho-
mines necessitudinis coniunctionem cum ipso Deo,
& felicitatis possessionem, est qua ipsi delecti sunt,
finis peruenturi. Honestis igitur, ac bonis mo-
ribus instituatur Christianorum vita. Eorum ani-
mi declinent, & fugiant malitiæ detrimentum.
Nam si vino, & carne temperantes obstrictos vi-
tiis animos habuerimus, nihil quicquam nobis, cum
aliter animo quam extrinsecus affecti simus, aut aqua,
aut olera, aut mentas sine sanguine structas pro-

futura prædico atq; testificor. Propter mūditiā
animæ sunt indicta ieiunia. Quæ si tum volun-
tate, tum factis coinquinatur, quid frustra, quam
bibimus, aquam insumimus? Cur ingens hoc cœ-
num, quod elui expurgariq; non potest, excoli-
tur? Quid confert ieiunium corporis, nisi mens
pura mundaq; sit? Nihil enim profit, currū va-
lidum, ac strenuis quadrigis instructū esse, si au-
riga insaniat. Nulla erit bene fabricatę navis vti-
litas, si ebrius sit ipse gubernator. Ieiunium vir-
tutis fundamentum est. Quemadmodum autem
navium carinæ & fundamenta domus, licet in-
gētia subiicias, inutilia vanaq; sint, nisi reliquas
item partes peritè & scienter exædificaueris: sic
istius abstinentiæ nullum erit emolumentum, ni-
si alię iustitię partes accesserint. Timor Dei eru-
diat linguam, ea, quæ decet, loqui: tacere con-
traria: temporis occasionem animaduertere: mo-
dum obseruare: fari necessaria: aptè respondere:
modestè dicere: ne verborum vi veluti grandis-
sime colloquentes obruat. Idcirco enim & tenuis
illa membranula, quæ cum ipsa lingua mentum
inferius deuincit, frenum dicitur, ne ineptè lo-
quatur & inconcinnè. Laudibus igitur, non cō-
uitiis vtatur: cantibus, non maledictis: cōmen-
dationibus, non obrectationibus. Manus petu-
lans Dei memoria tāq; cathena vincta cohibeat.

Has

lingua

Manus

Has enim ob causas ieiunamus. A G N V S
noster prius, q̄ clauis affigeretur cruci, contume-
lis affectus, & alapis cæsus est. Morem iudaicū
ne imitemur nos CHRISTI discipuli. Alios
qui s̄ eo pacto erimus affecti, verbis illis nos Esa-
ias increpabit: Cur ad lites & contentiones ie- Esa.
iunatis, & pugnis pauperem percutitis? Disce 54.
ab eodem Propheta synceri puriq; ieiunii ope-
ra. Dissolue colligationes impietatis. Solue fa-
sciculos deprimentes. Dimitte eos, qui con-
fracti sunt, liberos, & omne onus disrumpe. Fran-
ge esurienti panem tuum, & egenos vagosq; in-
duc in domum tuam. Cum videris nudum, ope-
ri eum, & carnem tuam ne despexeris. Multam
nobis hoc tempus affert nudorum, vagorumq; co-
piam. Magna enim cuiusq; fores frequentat capti-
uorū multitudo. Hospites exulesq; non desunt.
Vbiq; licet protensas opem implorantium ma-
nus aspicere. His aër sub dō tectum præbet.
Porticus & biuia, & partes fori magis desertæ
sunt hospitia. Nycticoracum, & noctuarum more
in cauernis latitant. Pannosis, attritis, & lacerā-
tis teguntur indumentis. Agricultura fructus
est illis miserantium animus & benignitas. Ci-
bus, siquid ab accedente quopiam impetrauerint.
Potio eadem, quæ rationis expertibus animan-
tibus, nimirū fontes. Pocula, manuum volæ. Penu-

Pauperum vita
est misera.

sinus ipse, nisi planè diffluat, sed possit ea, quæ in-
iiciantur, operire. Mensa, contracta genua. Le-
ctulus, solum. Balneum, id, quod Deus omni-
bus commune & sine industria constructum de-
dit, flumen, aut palus. Vagam & agrestem tra-
ducunt vitam, non quòd initio sic instituerint, sed
quòd ad eam calamitatibus & necessitate com-
puli sint. His necessaria victui suppedita tu, qui
ieiunas. Erga fratres calamitosos benignus esto.
Quod ventri subtrahis, tribue esurienti. Exequet
omnia iustus Dei timor. Duas inter se contra-
rias affectiones, tuam videlicet satietatem, & fra-
tris famem, modesta continentia tēpera atq; mo-
derare. Sic enim faciunt & medici. Alios exi-
niant, alios replent, vt accessione, decessioneq;
vniuscuiusq; sanitas conseruetur. Honestæ ad-
monitioni obtemperate. Aperiat ratio pauperi-
bus diuitum fores. Consilium inopi ad locuple-
tem aditum patefaciat. Egentes ne ditet huma-
na ratiocinatio. Sed illis & domum, & lectulum,
& mensam tribuat Dei verbum sempiternum.
Dulci & humana oratione vsui necessaria ex tuis
facultatibus subministra. Apud te multitudo pau-
perum atq; languentium sibi profugium inueni-
at. Quisq; diligenter vicinorum curam gerat.
Studium promerendi de propinquis tibi ab alio
præripi ne permittas. Caue, ne capiat alius the-
saurum

saurum repositum tibi. Calamitate affectum ut
 aurum amplectere. Infirmam pauperis valetu-
 dinem ita foue, ut in ea & sanitatem tuam, & sa-
 lutem vxoris, & filiorum, & seruorum, & totius
 denique familiae positam putes. Nam cum omnes
 pauperes fouendi adiuuandique sunt, tum illi, qui
 agrotant, precipue sunt complectendi. Qui enim
 egens & aeger est, duplici laborat paupertate.
 Inopes enim, qui valenti sunt corpore, ex hoc
 ad illud ostium accedentes, qui aliquid dent, ali-
 quando tandem inueniunt. Præterea sedent in
 triuiis, & prætereuntes omnes interpellant opem
 implorantes. At illi pauperes, qui aduersa præ-
 pediti valetudine, angustoque hospitio, immo
 verò angustis hospitio angulis conclusi sunt uti
 Daniel in lacu, te benignum & pauperum stu- Dan.
 diosum atque amantem tanquam Abacuc expectant. 14. c.
 Quamobrem per eleemosynam Prophetæ socius
 efficere. Celeriter & impigre ad alendum egen-
 tem accede. Nullam facies in promerendo ia-
 cturam, ne verearis. Multiplex enim & copiosus
 gignitur fructus ex eleemosyna. Sere beneficium,
 ut metere possis fructum, & bonis manipulis do-
 mum replere. At enim te quoque pauperem dices.
 Fac sis. attamen dato. Da quod habes. Neque enim
 supra vires tuas quicquam abs te requirit Deus. Da
 tu panem, ille poculum vini, alius vestimentum

Exo.
35.

dabit. atq; ita ex multorum benignitate vnus ca-
lamitas subleuabitur. Ne Moses quidem id, quod
impendit in tabernaculum, ab vno tantum ho-
mine accepit, sed ab vniuerso populo. Alii enim
aurum, argentum alii, vt magis, minusue diuitiis
affluebant, obtulerunt. Pauperes verò vel pelles,
vel etiam caprarum pilos, si quis grauius inopia
premebatur. Nonne vides pauperis etiam illius
Viduæ quadrantem diuitum münera superasse?
Illa enim quicquid habebat, exhausta, cum ex ho-
rum copiis vix pusillum quiddam exciderit. Iac-
centes pauperes tanq̃ nullius præcii sint, ne des-
pexeris. Considera, quinam sint, & eorum co-
gnosces dignitatem. Seruatoris nostri personam
induerunt. Propriam enim benignus ille perso-
nam eis largitus est, vt quemadmodum illi, qui
aduersus vim inferentes tanquam propugnacu-
lum regias prætendunt imagines, quo principis
effigie irruentium impetus frangatur, & retar-
detur, sic ipsi eos, qui nulla mouentur commise-
ratione, quiq; pauperes odio prosequuntur, per
illam flectant, mitigent, & exorent. Hi bonorum,
quæ speramus, & expectamus, sunt promicondi.
Hi ianitores Regni cœlorum, qui fores aperiant
benignis & bonis, occludant malis & inhumanis.
Hi & vehementes sunt accusatores, & optimi pa-
troni. Accusant autem, & defendunt, nō oratione,
sed

7
sed aspectu ipso, dum conspiciuntur à Iudice,
Quæ enim in eos fiunt, apud eum, qui corda scruta-
tatur, qui cogitationes hominum omnes atq; in-
timos animi sensus nouit, quouis præcone clari-
us, apertius, significantius vociferantur & cla-
mant. Propter hos nobis & formidandum illud
Iudicium, quod sæpe audiuitis, in Euangelio
perscriptum est. Illic enim video filium hominis
venientem è coelis, per æthera non secus atq; per
terram incedentem innumerabilibus stipatum
millibus Angelorum. Deinde gloriæ Thronum
erectum in sublime, atq; in eo confidentem Re-
gem. Tum omnes hominum tribus, omnes gen-
tes, nationes omnes, quæ in hanc vitam igressæ
sint, quæ hunc spiritu aëre duxerint, quæ hanc
solis lucem aspexerint, duas in partes segregatas
ad Tribunal iudicis astitisse. Audio, eos, qui à
dextra sunt, agnos vocari: hædos, qui à sinistra.
Nam ex morum similitudine sumunt appellatio-
nem. Audio illic eos interrogantem Iudicem &
rationes conficientem. Audio quid ipsi respon-
deant Regi. Deniq; pro suis quenq; meritis or-
natum cerno. Illis qui boni, benigniq; fuerint,
atq; optime vitam egerint, summa & perpetua
quies tribuitur in Regno cœlesti: inhumanis au-
tem & improbis supplicium ignis idq; sempi-
ternum. Hæc omnia ibi diligenter, vt scitis, sunt

explicata. Non alia autem de causa Iudicium illud tam accurata oratione tanq̃ penicillo depictum, nobisq̃ ante oculos positum esse crediderim, nisi vt perdiscamus beneficentiam, & benignitatem complectamur. Hæc enim est quæ continet vitam. Hæc est pauperum mater. Magistra diuitum. Bona pupillorum nutrix. Conseruatrice senum. Egentium penu. Cômunis miserorum portus. Omnium ætatum curam gerens. Omnibus ærumnis & calamitatibus consulens. Quemadmodum enim illi, qui in stultitiæ certaminibus præmia proponunt, tuba liberalitatem suam significantes, omnibus in palæstra decertantibus pecuniæ largitionē pollicentur atq̃ denuntiant, sic ipsa beneficentia omnes in miseris & calamitatibus positos ad se vocat, non vultnerum & plagarum præmia, sed ærumnarum & incômodorum remedia & curationem accedentibus impertiens. Hæc est omnium laudatarum actionum præstantissima. Hæc assidet Deo, & magna est cum ipso necessitudine coniuncta. Sic autem Deum ipsum nobis omnium, quæ rectè benigneq̃ facimus in primis authorem effectoremq̃ esse constat. Si quidem & terram procreauit: & ornatum cœli fabricatus est: & temporum vicissitudines statuit: & solis calorem, & glaciei refrigerantem naturam, omnia deniq̃ Deus ipse

non

8
non sibi, cum nullius horum indigeat, sed nobis
continenter præstat & conseruat. Nam mirabili
quadam ratione mortalium aciem effugiente præ-
bet hominibus alimenta, seminans opportunè, &
scienter irrigans. Ipse enim, vt scribit Esaias, dat
semen serenti, & ex nubibus nunc sensim imbrem
emittit in terram, nunc autem sulcorum latera &
toros abundè perfundit. At vbi segetes creue-
rint, & viriditas accesserit, tunc disiectis dissi-
patisq; nubibus, ab omnibus integumentis nudū
& apertum ipsis ostentat & immittit solem, vt ca-
lidis atq; ardentibus ipsius radiis tepefactæ per-
ueniāt ad maturitatem, & opportunas ad meten-
dum spicas exhibeant. Quid? quod vitem etiam
entrit, atq; ita idoneo tempore sitientibus po-
tum tribuit? Quid? quod varia item alit anima-
lium genera, vt hominibus & carnes ad vescen-
dum, & pelles ad protegendum, & lanas ad ve-
stes conficiendas præbeant? Cernis quo modo
primæ beneficentiæ author & origo sit Deus, esu-
rientem nutriens, sitienti largiens potum, & nu-
dum operiens, vt ante diximus? Si vis autem in-
telligere, quo modo morbo laborantes, male af-
fectos, atq; afflictos curet, audi. Quis Apem do-
cuit, cæras, & mella conficere? Quis è pinu, Quis
è Terebintho, Quis è Mastiches arbore pingues
illos resinæ succos destillare fecit? Quis Indorum

Esa.

55. c.

Bar. 3
b.

regionem constituit siccorum atq; fragrantium
fructuum, & odorum suauium matrem: Quis ole-
am corporis laboribus & doloribus opitulante
procreauit? Quis nobis radicum & herbarum
notitiam, quis qualitatum & virium, quę in ipsis
sunt, peritiam tribuit? Quis effectricem conser-
uatricemq; sanitatis Medicinam reperit? Quis
calidarum aquarum fontes eduxit e terra, vt ea-
rum vi tum frigidis & humidis, tum aridis & ad-
ustis affectionibus & morbis medeamur? Non-
ne Deus? Merito igitur & opportunę poteram
verba Baruch usurpare: Hic adinuenit omnem
viam disciplinę, & tradidit illam Iacob puero
suo, & Israel dilecto suo. Per hunc artes omnes,
quę vel in igne, vel sine igne, vel in aquis exer-
centur, inuentę: per hunc scientię innumerabi-
les excogitate: vt nihil omnino desit homini-
bus, quod ad transigendę vitę necessitatem &
commoditatem pertineat. Ac Deus quidem hoc
modo beneficentię & liberalitatis inuētor, & fons,
omnia, quę nobis necessaria sunt, ditissimus ipse
benignę subministrat. Nos autem qui singulis
diuinę scripturę verbis ad Dominum & pro-
creatorem nostrum imitandum (quatenus mor-
talis beatum & immortalem imitari potest) in-
stituimur, ad vtilitatem nostram omnia rapimus,
omnia voluptatibus nostris metimur, & alia qui-
dem

dem vitæ nostræ deliciis elargimur, alia recon-
dimus heredum auiditati. Misericorum verò nul-
la habetur ratio, nulla pauperum idonea cura,
nulla sollicitudo. O crudeles animos, o mentes
ab omni remotas humanitate, ab omni misericor-
dia alienas. Homo hominem videt egentem pa-
ne, non habentem alimenta vitæ necessaria, neq;
tamen illi prompto alacriq; animo subuenit, &
salutem præbet: sed illum despicit, & tanq̃ vi-
rentem plantam aquarum penuria sinit arefcere,
præsertim cū maximis inundet ipse atq; circum-
fluat copiis, vt ex sua abundantia facile multo-
rum inopiam reficere & recreare possit: Quem-
admodū enim ex vno fonte profluens aqua mul-
tas camporum longè lateq; protensas planities
fecundas & vberes reddit: sic vnius domus opu-
lencia multitudinem pauperum ex egestatis an-
gustiis eripere potest & sustentare: modò ne par-
cus & auarus animus veluti prolapsus lapis ve-
nas & riuulos è benignitate tanq̃ è fonte publicè
defluentes auertat atq; intercipiat. Ne viuamus
carni in rebus omnibus: in re aliqua viuamus &
Deo. Deliciæ enim epularum, quæ in ventrem
ingrediuntur, tantulum voluptatis carni dunta-
xat afferre possunt, quantulum est illud spatium,
quo fauces continentur. Nam simulatq; in ven-
trem delapsæ sunt, putrescunt, & per inferiores

ats.
ingeruntur

partes secedunt. Misericordia verò & beneficentia virtutes sunt Deo gratissimæ, quæ si cuius animus incoluerint, eum diuinum efficiunt, & summo illi Bono quod simillimum reddunt, adeo ut primæ illius atque immortalis & mentem omnem superantis naturæ decoretur imagine. At qualem studii laborisque finem pollicentur? Nunc quidem præclaram spem, & lætitiæ plenam expectationem, post autem quando istius assidue fluentis carnis spoliis exuti immortalitatem induerimus, vitam beatam, nullum finem habituram, nullis malis obnoxiam, in summis & admirandis, quæque hic à nobis cogitatione comprehendere non possunt, versantem gaudiis & voluptatibus. Vos igitur, qui ratione præditi, & mente rerum diuinarum interprete ac magistra decorati estis, ne (quæso) vos rerum fluxarum & caducarum blanditiis deliniri, & tanquam esca allici, & capi patiamini. Complectimini eum, qui possidentem se nunquam esse derelicturus. Vtui vitæ modum imponite. ne omnia vestra existimate. sit pars etiam pauperum & amicorum Dei. illius enim verè sunt omnia, quem habemus patrem. nos autem fratres sumus. Quapropter ut genere coniunctos ac fratres melius quidem, & iustius erat æquis partibus cernere hereditatem. Verum, quando id factum non est, sed vnus aut alter plus interuertit, reliqui partem

rem vnā saltem accipiant. Quod si quis omni-
 um prorsus esse dominus, & vniuersam vult hæ-
 reditatem auertere, & sexta, aut quinta parte fra-
 tres excludere, ille frater non est sed acerbus ty-
 rannus, immitis barbarus, immo verò inexplabi-
 lis fera, quæ hianti ore sola suaves deuoret da-
 pes, vel potius ipsis etiā feris sæuior, & agrestior.
 Si quidem & lupus ad deuorandam prædam lu-
 pum sibi socium adiungit. & canes multi non-
 nunq̃ simul idem dilaniant corpus. At iste diui-
 tiarum suarum nullum eiusdem generis hominem
 participem facit. Moderata mensa sufficit tibi.
 Ne te in illud luxuriæ pelagus demittas, vt con-
 uiuia omni genere ciborum instructa velis. Illic
 enim graue naufragium fit, quo non scopulis sub
 salo latentibus collideris, sed in altissimam & ob-
 scurissimam voraginem detruderis, in quam qui
 semel incidit, nunq̃ emerget. Vtere igitur, vtere,
 ne abutaris. Sic enim Paulus etiam edocuit. Mos i Cor.
7.2.
 desta oblectatione te recrea, tēperanter animum
 relaxa. Ne te deliciæ sic obruant, vt nimia læ-
 titia gestias, & insanis voluptatibus debaccheris.
 Ne sis animalium planè omnium perniciēs, in-
 gentium, mediocrium, minutorum, gradienti-
 um, volantium, natantium, siue inuentu facilia, siue
 difficilia sint. Seu magno, seu vili pretio vene-
 ant. Multorum venantium sudore ventrem vnū

ne repleas. Ne sint fauces tuæ veluti vorago, aut gurgēs, aut vastissimus ac profundissimus puteus, ad quem obruendum multorum laborent manus. Propter hominum luxuriam atq; delicias nō modo maris profundum turbatur. Non aquis solum innatantes capiuntur pisces. Sed marina animalia coguntur solum vertere, & in aquis fluminum degere. Inde in terram & cœlum hoc extrahuntur. Sic ostrearum genera non latuerunt. Sic captus Echinus. Sic serpentes irretitæ sunt Sepiæ. Sic Polypus saxi, quibus inhærebat, auulsus. Sic ex locis altissimis extracta Conchilia. Nullum deniq; est animalium genus, quod vel summas, vel infimas partes maris incolat, quod non humana fraus deceptum ad hanc cœli lucem aspicendam eduxerit. Adeo hominum voluptates vndiq; captantium ingenia ad varias insidias & dolos reperiendos elaborarunt. Sed qualia nam delicias eiusmodi consequuntur? Necessè est, vt luxuria, vbi semel radices egerit & coaluerit, reliquam secum nequitie materiam trahat. Quam obrem qui molliter, & delicatè viuere instituerūt, necessariò ad excogitandos magnificos ædificiorum apparatus alliciuntur. In his construendis & exornandis maxima vis pecuniarum profunditur. ad hæc cœtus hominum libenter conuocant, & inuitant, splendidam, & variam supellectilem
studiosè

studiosè cōparant. Mensas pretiosissimas ex ære
conflandas curant, alias leuitate politissimè ex
æquatas, alias vario artificio sculptas & fabrefa-
ctas, vt liceat conuiuiis simul & gulam epulis de-
linire, & oculos intuen-
dis & legēdis historiis oble-
ctare. Hic mihi deinceps tute reliqua considera:
Crateras, Tripodas, Cados, Gutturnia, Lances,
innumerabilia poculorum genera. Scurras, Mi-
mos, Citharistas, Poētas, Oratores, Cantores,
Cantatrices, Saltatores, Saltatrices, totum de-
niq̃ petulantix ludum. Pueros comis effœmina-
tos, puellas inuerecundas, quas propter immo-
destiam meritò sorores Herodiadis appelles, Io-
annem, idest diuinum in vno quoq̃ sapientiæq̃
studiosum animum è medio tollentes. Atq̃ dum
hæc intus gerūtur, assident ad vestibuli fores in-
numerabiles Lazari, partim grauib. vlceribus
pleni, partim oculis orbati, partim pedibus mu-
tili. Quidam ipsorum quanuis sint omnibus fe-
rè membris spoliati, serpere tamen audent, & vt
cunq̃ progrediuntur. Conclamant autem, nec ta-
men exaudiuntur. Impedit enim tibia-
rum stre-
pitus, & carmina, quæ ab ipsis cantoribus con-
cinuntur, & solutè ridentium Cachinnatio. Quòd
si pauperes paulo vehementius fores pulsauerint,
immitis ac sæuus alicunde profiliens Domini la-
nitor eos baculo propellit, & canes appellans verò

beribus plagas infligit & vulnera. Abeunt igitur
 CHRISTI amici, in quibus sita est man-
 datorum summa, cum nec panis frustum, nec ob-
 sonii quicquam acceperint, sed potius contumelias, &
 verbera lucrati sint. Intus autem in officina Mam-
 monæ alii tanquam nimis onusta nauigia reuolunt
 cibum, alii presentibus poculis indormiunt mensæ.
 Duplex autem in turpi domo exercetur pecca-
 tum, vnum propter ebriorum satietatem, alterum
 propter expulsorum pauperum famem. Si Deus
 hæc aspicit, ut profecto aspicit, quam vitæ com-
 mutationem, quem exitum fore cogitatis? dicite,
 quæso vos, o pauperum inimici, An nescitis ho-
 rum causa in sacro Euangelio poni, & commemo-
 rari exempla omnia horrenda, & terribilia? Non-
 ne graues illius cruciatus & gemitus recensentur,
 qui in Byllo fuerat enutritus? an non in malorum
 Abyllo describitur coerceri. Quid? huic alter il-
 le similis, nonne cum vesperi de matutinis deli-
 ciis cogitaret, tam inexpectata & repentina da-
 mnatus est morte, ut ne orientis quidem solis ra-
 dium potuerit intueri? Proinde cum mortales
 simus fidem ne abiiciamus, neque fruamur volu-
 ptatibus ut immortales. Sic enim ferè affecti su-
 mus quicumque genio indulgere, & carni in omni-
 bus obsequi volumus. Tanquam patresfamilias suc-
 cessorem nunquam habituri, & perpetui rerum
 humanarum

Luc.

16.f.

Luc.

12.c.

humanarum domini. Messis tempore sementem
 facimus, & quando seminandum est, speramus læ-
 titiam messis. Platanum serimus, & procerae ar-
 boris umbrā moramur. Palmæ, semen terrę cōmiti-
 timus & fructuum dulcedinē expectamus. Hæc
 autem serē in ipsa senectute, quando iam adest
 ætatis autumnus, & mortis hyems aduentat, &
 vitæ residuum tempus est non integer annus, sed .r.
 tres aut quatuor dies. Cogitemus igitur nos, qui
 ratione præditi sumus, quā fragilis fluxa q̄ sit vi-
 ta nostra, quā velociter labatur tempus, vt sisti
 cohiberi q̄ non possit, vt omnia quæ metitur, ad
 interitum ducat & trahat. Atq̄ vtinā breue tan-
 tum esset spatium vitæ, modò certum esset, modò
 reddendę rationi non essemus obnoxii. Nunc
 autem illud meritò torquere nos debet, quòd &
 singulis horis instat periculū, & incorruptus, atq̄
 integer adeundus est iudex, apud quem non so-
 lum eorum, quæ fecimus, sed omnium, quæ dixi-
 mus, reddenda nobis est ratio. Quamobrem hæc
 secum ipse animo voluens beatus ille Vates auct
 intelligere præfinitum sibi terminum vitæ. Itaq̄
 Deum precatur, vt sibi numerum dierum, qui re-
 liqui sint, annuntiet, quo accingat se se ad ea, quæ
 ad exitum pertinent, ne tanquā Viator impro-
 uidus, dum iterfacit, & viaticum necessariū quæ-
 rit, repente turbetur. Sic igitur inquit. Notum

38. **Psal.** fac mihi Domine, finem meum, & numerum die-
rum meorum quis est, vt sciam, quid desit mihi.
Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia
mea tanq̃ nihilum ante te. Cernis animæ bonæ
prudentem sollicitudinem, idq̃ in homine in re-
gia dignitate constituto. Nec mirum, intuetur
enim Regem Regum, & Iudicum Iudicem. Illud
autem obsecrat, vt absoluta mandatorum ob-
seruantia decoratus discedat integer &
perfectus cœlestis illius patriæ ciuis,
quam nos item omnes vt assequa-
mur & opto & spero per gra-

tiam & benignitatem

Domini nostri I E

SV CHRI

STI, cui

gloria

in æter-

num.

Amen.

73

DIVI GREGORII NISSÆ
PONTIFICIS, MAGNI

BASILII FRATRIS DE PAV.
*peribus amandis & benigni-
tate complecten-
dis altera*

ORATIO

IN EA EVANGELII VERBA:

*Quatenus uni ex his fecistis,
mihi fecistis.*



ADHUC IN FORMIDO-
losi, Magni illius Regis aduentus
nobis ab Euangelio descripti con-
templatione detineor. Adhuc atten-
tè consideranti metum, quem iniicit ea com-
memoratio, refugit horretq; animus. Nam cœ-
lestem ipsum regem in Throno maiestatis, ut ibi
describitur, terribili quodam modo præsentem
mihi videor intueri. Magnificum illū Thronum,
quicumq; Thronus ille sit, cum, qui nullo coërce-
tur loco, continentem cerno. Innumerabilia An-
gelorum Regem constipantium millia video.
Magnum quin etiam ipsum ac formidandum Re-
gem aspicio ex immensa gloria in naturam hu-

D

manam despicientem, & vniuersa genera hominum, quicumq; ex eo tempore, quo primum generari homines cœperunt, vsq; ad metuendi illius aduentus diem reperiantur, ad se congregantem, singulisq; ex institutæ, & anteaetæ vitæ ratione & meritis, vel præmia dantem vel irrogantē supplicia. Illis, qui rectè sancteq; vixerint ad dexteram partem, vt dictum est, collocatis, qui verò flagitiosè & improbè, ad sinistram positus, & condemnatis. Vtrosq; autem diuersa tamen ratione appellantem audio. Alios enim dulcissimis illis ac faustissimis verbis alloquitur: Venite benedicti patris mei. Alios horribili ac metuenda illa comminatione: ite maledicti in ignem eternum. Sic autem mihi hæc legenti & consideranti affectus & perterrefactus est animus, vt ea non legi, sed fieri, non pronuntiari, sed agi quodammodo existimem. Iamq; non audire, sed planè rebus ipsis interesse mihi videor. Itaq; præsentium nihil amplius sentio, nec menti vacat respicere ad aliud quicquam eorum, quæ mihi, ad explorandū & contemplandum proposita sunt, quanuis ea profectò nec parua sint, nec exiguam indagationem requirant. Quomodo videlicet venire intelligatur, qui semper adest, præsertim cum ipse dicat: Ecce vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consumationem sæculi. Et si nobiscum esse creditur

Mat.
th. 28.
d.

ditur, quomodo venturus, tanquam non adsit, exi-
stimetur. Si enim in ipso (vt inquit Apostolus) Act.
viuimus, mouemur, & sumus, qui fieri potest, vt 17.c.
ab illo, qui cōplectitur omnia, ii, quos ipse com-
prehendit, loco discludantur? Quod si nunc ad-
esse rebus, quas in se ipse cohibet & coërcet, ne-
gemus, quomodo posterius vnquam affuturū ex-
pectemus? Præterea, quæ possit esse illius aut se-
des, aut præsentia, aut forma, aut in Throno cir-
cumscriptione, qui & corpore caret, & videri nō po-
test, & formam nullam habet, & ubiq; sic adest,
vt nusq; concludi secludiue possit. Hæc igitur
& cætera id genus tanq; maiora, quam vt a no-
bis in præsentia explicari valeant, omittemus, &
communis vtilitatis gratia illuc orationem no-
stram conuertemus, vt quo pacto fieri possit, ne
redigamur in reproborum ordinem pro viribus
ostendamus. Equidem, vt ingenuè fatear pertur-
bationem animi mei, vehementer, o fratres, ve-
hementer illa cōminatione conterritus sum. Hoc
autem timore vos item affici velim, neq; eum vl-
la ratione despiciere. Beatus enim vir, qui semper
est pauidus, vt quodam loco inquit sapientia, qui Pro-
autem contemnit contemnetur. Priusq; igitur ir- uerb.
ruant mala, demus operam diligenter, ne nobis 28.c.
hæc tristitia necesse sit experiri. Verum quonam
modo ea declinabimus? hoc nimirum, vt eam vi-

Mat.
th. 25.

uendi rationem & viam, quam in præsentia scriptura nobis ostendit, quæ nunc viget, & verè viuit, ingrediamur. Quænam hæc est ratio? quænam hæc via? Esuriui, sitiui, hospes erām, & nudus, & infirmus, & in carcere. Quod vni eorum fecistis, mihi fecistis. Iccirco venite inquit, Benedicti patris mei. Quid ex his discimus? Benedicti ac summum bonum in diligentia & obseruantia mandatorum positum esse: maledictionem & malorum extremum ex desidia mandatorumq; despicientia proficisci. Eā igitur amplectamur, hanc fugiamus. quandò in nostra manu situm est, vt, vtram volumus, adipiscamur. Ad quod enim egregia animi alacritate propendimus, in eo futuri sumus. Quare benedictionis dominum, qui perinde nobis acceptum laturus est quicquid studii & officii in pauperes contulerimus, ac si in ipsum contulissemus, conciliemus nobis & obstringamus. Præsertim hoc tempore, quo nobis, dum viuimus, magna exequendi mandati facultas præbetur, multiq; sūt, qui rebus necessariis multi, qui & ipso corpore indigeant, ab ipsa vi morbi confecti atq; consumpti. Sic igitur nos in hac re, hoc est, vt planius loquar, in iis, qui morbo grauisimo mutilati sunt, fouendis curandisq; studiosè diligenterq; geramus, vt præclarum illud promissum præmium assequamur.

Quo

15
Quo enim grauior in his morbus reperitur, eo maior benedictio laboriosum illud mandati munus obeuntes manet. Quid igitur faciendum est? illud utique, ut Sancti Spiritus voluntati ne resistamus. ea autem est, ut eos, qui eadem natura praediti sunt, tanquam alienos non eitemus, neque imitemur reprehensos illos in Euangelio, Sacerdotem & Leuitam dico, qui miserabilem illum, quem historia à latronibus semimortuum relictum tradit, nulla commoti commiseratione praeterierunt. Nam si coarguantur illi, quod ad plagas in nudo corpore intumescens non respexerint, quomodo nos, qui illos imitamur, non in eandem reprehensionem incurremus? neque enim pro electo tam miserandum spectaculum praebuit ille, qui in latrones inciderat, ut praebent hi, qui eiusmodi oppressi sunt calamitate. Vides hominem ex improbitate morbi in quadrupedis formam commutatum, & ungulae atque unguis loco ligna manibus induisse, atque ita nouum vestigii genus humanis semitis imprimentem. Quis ex ea forma queat agnoscere, hominis gressu eiusmodi esse facta vestigia? Homo eo corporis habitu & figura formatus, ut rectus in caelum aspiciat, cui manu instrumentum ad res agendas Natura dedit, incuruatur in terram, & quadrupes fit, & parum abest, quin rationis expers esse videatur. Cum dis-

Luc. 8
c.

ficultate spiritum trahit, irraucescit, & ex intimis
visceribus fremitus elicit, ipsis etiam rationis ex-
pertibus animalibus effectus (liceat audacter id
dicere) calamitosior. Siquidem illa, quam ab ipso
ortu formam acceperunt, eam ad finem usque con-
servant. Nec vllum ex iis propter aliquem mor-
bum ex ea forma in aliam conuertitur. Hic autem,
tanquam commutata natura, non id amplius quod
erat, sed aliud quoddam animal videtur esse.
Pedum munere funguntur manus. Genua præ-
bent plantarum vsum. Nam ipsæ plantæ natu-
rales & tali, aut planè deficiunt, aut, veluti appen-
dices quædam extrinsecus temerè nauibus admo-
tæ, fortuito trahuntur. In his tu hominem cernis,
nec sanguinis coniunctionem reuereris? nec mi-
seraris propinquum? sed auersaris calamitatem, &
odio supplicem prosequeris? Hominis accessum
tanquam fere alicuius impetum declinas? Atqui,
ne id faceres, debebas vel ea cogitatione prohi-
beri: Nempe Angelum à corpore materiaque li-
berum te, quanuis sis homo, tamen attingere, nec
carne & sanguine mixtum atque concretum asper-
nari. Quid autem Angelos dico? cum ipse Do-
minus Angelorum, ipse cœlestis beatitudinis Rex
propter te factus sit homo? & sordidas istas abie-
ctasque carnis exuviolas vnà cum anima, quæ ipsis
erat induta, sibi circundederit, ut attactu suo tuis
ægritudinibus

ægritudinibus mederetur? Tu verò, qui natura
 idem es cum ægrotante, fugis eiusdem generis
 hominem. Ne tibi, frater, ne, obsecro, placeat cō-
 silium prauum. Qui sis, & quibusde consulas,
 cōsidera: homo nimirū, de hominibus, qui nihil in
 te proprium, & à natura communi seiunctū ob-
 tines. Futuris de rebus ne præiudicium facias.
 Dum enim affectionem in alieno corpore conspi-
 cuam damnas, incertam de tota natura senten-
 tiam pronuntias. Eius autem naturæ tu quoque
 particeps, vt reliqui omnes. Quapropter tanquam
 communi de re consulatur. Cur, quæ in aliis vi-
 des misera & calamitosa, non ea te æq̃ ad com-
 miserandum adducunt, ac si in te ipso conspice-
 res? Cernis homines vagos tanquam ex Nomas-
 dum genere ad ea comparanda, quæ gregibus si-
 biq̃ necessaria sint, dissipatos. His vestimenta
 sunt lacerata, ex attritis centonibus confuta. in
 manibus baculus non ab ipsis digitis cōprehen-
 sus, sed loris quibusdam ad palmas alligatus.
 Hoc illi pro gladio, hoc pro vehiculo vtuntur.
 sacculus adest ad seruandum panem situ carieq̃
 confectus. Pera rimosa, in hac illis & focus, & do-
 mus, & stragulū, & lectulus, & penu, & mēsa, omnis
 deniq̃ supellex in hac pera consistit. At tu hæc
 aspicias, & quis in illis sit, minimè cogitas. Hic
 enim, si nescis, est homo, factus ad imaginē Dei.

31
Huic, vt terræ dominetur, concessum est. Huic
in reliqua animalia datum imperium. Eò tamen
calamitate redactus, atq; sic inuersus est, vt quid
nam sit, ambigatur. Nam neq; hominis planè, neq;
aliorum animantium cuiusquam indicia presert.
Si cum homine conferas, effigies humana respuit
eam deformitatem. Si cum rationis expertibus
animalibus, ea quoq; similitudinè eiusmodi non
admittunt. Soli igitur ad se ipsos solos respici-
unt, & miseræ similitudine inter se congregan-
tur. Qui ab aliis despiciuntur, se ipsi præ neces-
sitate non despiciunt. Vndiq; expulsi confluunt
vnum in locum, & proprium quendam populum
conficiunt. Vides homines iniucundos flebilem
tristemq; chorum efficientes. At verò vt ipsis se
se quodammodo iactitant calamitatibus? Vt in
se ipsis naturam ostentant deturpatam? Vt va-
rios adeuntibus se tanq; præstigiatores quidam
morbos demonstrant. Poëtæ carminum luctuo-
forum, tristium narrationum inuētores. grauium
illarum modulatores cantionum. Authores nouæ
istius miseræq; Tragediæ, in qua non ex alienis,
sed ex propriis calamitatibus exempla sumunt
ad permonendos animos, atq; ita sibi audientiā
faciunt. O quæ figuræ, bone Deus, quæ narra-
tiones, quid ipsos dicentes audimus? Quomo-
do ab illis, qui ipsos procrearunt, nulla sua culpa
reiecti

reieci sunt. Quomodo expelluntur è ciuitatibus.
 Quomodo ex colloquiis communibus, ex publicis
 festisq; congressibus extruduntur, tanq; homicidæ,
 tanq; parricidæ exilio perpetuo mulctati. Immo
 q̃ illi longè infeliciores. Siquidem homicidis so-
 lum vertentibus licet alibi cum hominibus viue-
 re. At isti omnium soli tanquam communes de-
 clarati hostes vndiq; exturbantur vt canes. Quid?
 quod eodem tecto, eadem mensa, eodem vaso-
 rum usu iudicantur indigni? Quid? quod quasi
 hæc satis graua non sint, arcentur à fontibus, qui
 reliquis hominibus sunt communes? Ipsa quin
 etiam flumina creduntur ipsorū ægritudine co-
 inquinari. Si lingua cruenta canis aquam lambe-
 rit, non eam iccirco respuunt homines. At si ad
 illam æger accesserit, continuo propter hominem
 ipsa quoq; aqua detestabilis prædicatur. Hæc es-
 narrant. Hæc deplorant. Ob hæc necessario se
 ad hominum pedes abiiciunt miseri, & omnibus
 occurrentibus supplicant. Sæpe tristi spectaculo
 illacrymaui. Sæpe de natura conquestus sum. Et
 ea me recordatio memoriaq; nunc etiam mouet
 atq; perturbat. Vidi ægritudinem miserandam.
 Vidi spectaculum plenum lacrymarū. iuxta vias
 celebres, & à prætereuntibus frequentatas iacēt
 homines mortui, immò ne homines quidem, sed
 infelices hominum reliquiæ, signis & indiciis ali-

quibus indigentes, vt se homines esse, fidem faci-
ant. Neque enim ex naturæ notis quicquam est
reliquum, vt agnosci possint. Hi soli ex omnibus
se ipsos oderunt. soli diem suum natalem execra-
tur. ac iure quidem detestantur illum diem, qui
talis vitæ principium fuit. Homines qui se com-
muni appellatione nominare erubescunt, ne ex ipsa
nominis communione naturam communem de-
decorent. Semper in miseris vitam degunt. Per-
petuam luctus materiam habent. Quandiu enim
se ipsos aspiciunt, tandiu lugendi habent occa-
sionem. Dubitant autem quas magis deplorent
corporis partes, easne, quæ non adsunt amplius,
an illas, quæ supersunt. Quas morbus absumpsit,
an quæ morbo relictæ sunt absumendæ. Dolens
dumne magis sit, quod in seipsis eas miseras cer-
nant, an quod eas, adempta etiam à morbo viden-
di facultate, intueri non possint. Quod talia de
se narrare queant, an quod sibi ab ipso morbo ere-
pta etiam voce ne illa quidem valeant explicare.
Quod tali vescantur cibo, an quod ne illo qui-
dem commodè vesci possint, impedita propter oris
corruptas à morbo particulas edendi potestate.
Quod sentiendo, ea, quæ mortuorum sunt pro-
pria, perpetiantur, an quod ipsis etiam sensibus
spoliati sint. Vbi enim illis aut videndi, aut odo-
randi, aut tangendi vis? Vbi reliquorum sensuum
sedes,

sedes, quas paulatim depascente morbo caries ar-
 rodit. Per omnia igitur vagatur loca, ad vberiore
 pastum, vt animalia rationis expertia, identidem
 se transferentes. Occasionem ad negotiandum
 comparandaq; cibaria circūferunt calamitatem.
 & supplicationis loco morbum omnibus ostendūt.
 Propter egritudinem autē ministris egent, à qui-
 bus manu ducantur. sed ob inopiam se se vicissim
 confirmant. Sic enim alter alterius vtitur mem-
 bris pro iis, quæ sibi defunt, vt, qui per se singuli
 sunt imbecilli, mutua illa accessione fulciantur.
 Itaq; in hominum conspectum sigillatim non ve-
 niunt, sed (adeo egestas etiam ad parandum vi-
 ctum ingeniosos & solertes facit) vniuersi atq; in-
 ter se congregati conspici volunt. Inde fit, vt cum
 singuli miserabiles sint, hominibus ita coniuncti
 magis miserandi coadiuuandiq; videantur. Alii
 quid enim quisq; in commune confert, & alius ex
 alia calamitate misericordiā cōparat. Hic præ-
 tendit mutilatas manus. Ille tumidum ventrem
 ostendit. alius dilaniatam faciem. Crus aut bra-
 chium putrescens alius. Qua deniq; quisq; egro-
 tat corporis parte, eam denudat, & suā miseriam
 ostentat. Quid ergo faciendum est nobis, vt ni-
 hil in naturæ legem peccasse videamur? satisne
 sit, eorū affectiones deplorare, & oratione morbum
 extollere, atq; ipsa commemoratione commoueri?

Mat.
th. 7. c
Luc. 6
8.

an necesse est, vt facto etiam aliquo misericordiā
& beneuolentiam erga illos nostram declaremus?
Sic est profectò. Nam quæ proportio est inter
res veras & adumbratas picturas, eandem obti-
nent verba, si ab operibus seiungâtur. Non enim
in verbis salutem consistere dicit Dominus, sed
in salutis operibus faciendis. Quamobrem, quod
nobis ipsorum causa mandatum est, id, oportet, vt
ipsimet exequantur. Neque enim illud omnino qui-
spiam dicat, esse satis, si procul à nobis in extre-
mam aliquam nostræ regionis partem, tanquam
in coloniam deductis alimenta suppeditentur.
Ea namque sententia nullam veræ clementiæ & cō-
miserationis significationē habet, sed sub ea mi-
sericordiæ specie illud consilium latet, vt homi-
nes è vita nostra prorsus exterminentur. Deinde
nostræ nos viuendi consuetudinis non pudet?
qui sues, & canes contubernales habeamus, adeo,
vt ne suo quidem lectulo venator catulū arceat,
& agricola vitulum exosculetur, & propriis ma-
nibus viator asini pedes lauet, & curandis vulne-
ribus medicas manus adhibeat, sterqusque auferat,
& cubile substernat, eos autem, qui generis ne-
cessitudine nobis coniuncti sunt, ipsis etiam ra-
tionis expertibus animalibus postponamus? Ne
fiant hæc, quæso, ne fiant, o fratres. Ea sententia
aduersus homines rata ne habeatur. Operæpre-
tium est

tiū est meminisse, qui simus, de quibus consilium
 capiamus. Nempe de hominibus homines, qui
 nihil proprium, & à natura communi seiunctum
 possidemus. Vnus omnibus in hanc vitam introi-
 tus. idem omnibus vitæ modus. Edendi, bibendi,
 viuendi similis ratio. eadem corporū constructio.
 idē è vita exitus. Omnia enim cōposita dissoluū-
 tur, & ad interitum veniunt. Nihil eorum, quæ
 mixta concretaq; sunt, semper eodem statu ma-
 net. Exiguū ad tempus bullarum instar spiri-
 tui nostro circumiectum est corpus. Mox autem
 extinguimur, nullo huius tumoris in vita relicto
 vestigio. in columnis, & lapidibus, & titulis mo-
 numenta, ac ne illa quidem sempiterna. Hæc res
 cum ipse reputans noli altum sapere, vt scribit
 Apostolus, sed, quod incertum est, time. Ne in Rom
ii.c.
 te ipsum statuas sæuitiæ legem. Ægrotantē me
 fugis? Dic, amabō, ecquid prætexens id facis?
 An quia in illo corruptus est humor, & putridus
 quidam succus, atra bile cum ipso humore cōfusa,
 sanguinem infecit? Has enim causas medici, cū
 de morbis differunt, afferre solent. Quod nam
 igitur est hominis crimen, si naturæ materia mo-
 bilis & incōstans ad illud egritudinis genus de-
 fluxit? Tu verò non cernis in ipsis etiā valentium
 corporibus sæpe contingere, vt qui cætera sanus
 est, inflammatione, aut car bunculo, aut eiusmodi

aliquo morbo corripitur, incensa supra quam
opus sit, materia humida, & iccirco in tumorem,
& ruborem, & putridā saniem conuersa? Quan-
do igitur sic affecti sumus, eāne carnis partem
ægotantem auersamur, an contra potius reliquas
corporis partes sanas omnes ad illius laborantis
curationem conuertimus? Non igitur eā ob cau-
sam homines despiciamus, quòd morbus detesta-
bilis videatur. Alioquin in nobis etiam ipsis ab
ea parte curanda, q̄ morbo affecta est, sanæ partes
abhorrent. Quid ergo nos ab illis disungit?
quid tandem est? illud profectò, quòd non time-
mus minas illius, qui dicit: Discedite à me in ignē
æternum, quatenus enim vni ex his non fecistis,
nec mihi fecistis. Qui enim hæc ita habere arbi-
trarentur, nunquam adduci in eam sententiā pos-
sent, vt ægotantes à se repellerent, nec studium,
quod in calamitosos impenderetur, vitæ nostræ
contagium existimarent. Quamobrem si fidelem
eum, qui promisit, arbitramur, Mandatis illius,
sine quibus digni promissis eius esse non possumus,
obtemperemus. Nudus, indigens cibo, in-
firmus, in carcere clausus, & omnia, quæ com-
memorantur in Euangelio, in hoc misero tibi pro-
posita sunt. Vagus oberrat & nudus, infirmus,
& propter inopiam, quæ morbum ipsum conse-
quitur, rerum egens necessariorum, Qui enim nec
domi

Mat.
th. 25.
d.

domi habet, unde alatur, nec aliunde labore potest questum facere, huic utique defunt ea, quæ vite usus requirit. Vincitur autem propterea est, quoniam morbi vinculis constringitur. Itaque Mandatorum omnium summam in hoc expletam habes, & ipsum omnium Dominum ob ea, quæ benigne ipsi præstiteris, obstrictum & obligatum. Cur igitur in tuæ vitæ perniciem niteris? Qui enim rerum omnium Dominum amicum habere non vult, is sibi ipse gravis est inimicus. Quemadmodum autem Mandati observantia conciliatur, sic ab alienatur crudelitate. Tollite (inquit) iugum meum super vos. Mandatorum observantiam iugum appellat. Iubenti pareamus. Efficiamur iumentum CHRISTI induentes vincula charitatis. Tale iugum ne detrectemus, ne excutiamus. suaue est, leue est. Subeuntis cervicem non atterit, sed demulcet. seminemus in benedictione (inquit Apostolus) ut etiam in benedictionibus metamus. Multiplex spica ex tali semente pullabit. Ampla est Domini Mandatorum seges. sublimes benedictionis stirpes. Vis intelligere, in quantam altitudinem extollatur harum stirpium incrementum? ipsos cæli vertices attingunt. Quicquid enim in hos contuleris in cæli thesauris conditum inuenies. Ne diffidas iis, quæ dicta sunt, neque horum amicitiam cotemnendam putes. Manus

Mat.
th. ii.

2. Co.
rint.
ix. b.

quidem ipsorum sunt mutilata, sed ad ferendum
auxiliū non inbecille. Pedes inutiles esse etiam sunt,
sed currere ad Dominum non prohibentur. Eff
fluxit lux oculorum, sed animo cernunt illa bona,
quæ oculorum acies intueri non potest. Quam
obrem corporis deformitatem ne despicias. Pa
rumper expecta, & quod superet omnis miraculi
fidem, intueberis. Non enim quæcunq; materiæ
fluxæ contingunt, eadem in perpetuum manent.
sed quando anima ab huius caduci terreniq; car
ceris nexu soluta est, tunc propria splendet pul
chritudine. Hoc autem vel inde coniicite, quod
post hanc vitam non despexit pauperis manum
voluptarius ille diues, quinetiam optauit, ut qui
Luc. 16. olim corruptus erat pauperis digitus, sibi aquæ
guttam ministraret, cupiens ipsa lingua stillan
tem ipsius digitum circumlambere, id neutiquam
desideraturus, si ex corpore prouenientē tristem
illam turpitudinem in animæ quoq; forma con
spexisset. Quam multa in ea vitæ commutatione
verisimile est, Diuitem recantasse? Quam multis
nominibus beatū existimasse Pauperem illū pro
pter angustias, quibus oppressus fuerat in hac vi
ta? Quot modis fortunam suam, cui in pernitiē
animæ diuitiæ datæ fuerant, inculasse? Quod si
reuiuiscere licuisset, quid nam data optione fuisse
se creditis electurum? in eorumne esse numero,
qui in

qui in hac vita beati censentur, an in eorum potius, qui miseri iudicantur? Non est dubium, quin infelicium conditionem fuerit accepturus. orat enim, vt ad fratres nuntius ex mortuis mittatur aliquis, ne ipsi quoque diuitiarum splendore elati ac tumidi, & propter lubricum voluptatis prolapsi, in eundem Inferni hiatum atque voraginem detrudantur. Cur igitur eiusmodi exemplis admoniti nondum resipiscimus? cur præclarum illud negociationis genus (vt consult Apostolus) non exercemus? Vestra (inquit) copia eorum inopiam sustentet, vt eorum opes in ea, quæ post secutura est, vita, vobis ad salutem opitulentur. Siquid igitur benignitatis percipere volumus, benemerendo anteuertamus. Si posthac refici, eos in præsentia recreemus. Si ab illis in æterna recipi tabernacula, nunc eos in nostra recipiamus. Si peccatorum nostrorum vulnera curari, illorum corporum plagis idem præstemus. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur. At aliquis fortasse dicet, vtile quidem in posterum esse Mandatum, sed hoc tempore sibi adhibendam esse cautionem, ne eiusdem morbi contagione contaminetur. Atque ita ne temeritatis poenas det, & aliquid eorum, quæ nollet, perpetiatur, sibi eorum congressum ac consuetudinem vitandam putat. Nugæ sunt hæ, & excusationes

F.

at.
monus

2. Cor.
8. c.

Iue.
16. c.

Mat.
th. 5. a

fictæ, ac commentitiæ, quibus veluti quibusdam
integumentis, inertia ad conficienda Mandata
Dei protegitur. Non autem ita se res habet. Nul-
lus enim in exequendo Mandato timor inest.
Nemo malo malum curet. Quot enim homines
licet videre, qui iâ inde à pueritia ad ipsam vsq;
senectutem suam in eiusmodi curatione operam
collocarunt, neq; tamen ob id studiû bona ipso-
rum habitudo corporum naturalis est vlllo modo
facta deterior? Neq; verò vlla probabili ratione
id fieri potest. Cæterum quoniam aliquando sæ-
uiunt quædam morborum genera, vt pestilentie,
& alia eiusmodi, quæ ex causis externis pendet,
quæ videlicet aëre aquaue corrupta generantur:
hæc autem tanq̃ ab illis, qui prius correpti sunt,
eos, qui appopinquet, inuadant atq; coinquent,
multis suspecta sunt: quanq̃ meo quidem iudi-
cio neq; affectio illa ex successione sanis morbum
dispertitur, sed cõmunis pestilentie sæuitia mor-
bi similitudinem affert: Quando igitur eiusmodi
contagiones grassantur, valeat excusatio, quòd
morbus ex eo laboratibus ad alios serpat. At hic
quoniam affectionis vis intus contrahitur & cõ-
sistit, & ex tabificorum humorum permixtione
quodammodo sanguis corrumpitur, in agrotan-
te solùm hæret & circumscribitur affectio. Hoc
autem sic habere, illud indicium sit. Qui morbo
laborant,

laborant, aliquidne melioris habitudinis acqui-
runt ex consuetudine & familiaritate eorum, qui
commoda fruuntur valetudine, quanuis curen-
tur ab eis diligentissime? Nihil omnino. Sic igitur
est contrario fieri par est, ut nihil ex ægrotan-
tibus ad rectè valentes incommodi perueniat.
Quare, cum tanta Mandati utilitas sit, ut inde re-
gnum cælorum comparetur, in eo autem exercen-
do nullum periculum, ut corpus detrimenti quic-
quam accipiat, quid impedimento est, quominus
ipsum Charitatis mandatum excolatur? Difficile,
& magni laboris est (inquiens) ut homines ad hæc,
à quibus naturaliter & inductione quadam ani-
mi abhorrent, amplectenda pertrahantur, belle.
rationem admitto, & laboriosum esse confiteor.
Verum quid nam eorum, quæ ex virtute perfici-
untur, à labore vacuum ostendes? Sudores & la-
bores multos rerum cælestium spei Lex diuina
proposuit, arduamque ad vitam ducentem viam ho-
minibus demonstravit, eamque laboriosissimis ac
difficillimis quibusque documentis perangustè re-
ferciens vndique coarctavit. Angusta enim est por-
ta, & arcta (inquit) est via, quæ ducit ad vitam. Mat. th. 7.
Quid ergo? illamne summi boni spem iccirco co-
temnemus, quod ad illud ignavis & inertibus
aspirare non licet? Interrogemus adolescentes,
utrum laboriosius sit, sobriè, castè, continenter vi-

uere, an relaxare habenas cupiditati, & solutè ac
liberè conquisitis vndiq; voluptatibus frui. & hæc
an illa viuendi ratio suauior, & magis optanda vi
deatur. Quid ipsi sint responsuri, nulli dubiū est.
Nos ergo propterea, id, quod iucundum & fa
cile est, complectemur, à virtute autem, quòd dif
ficilis laboriosaq; sit, per ignauiam deficiemus.
Atqui illi, qui vitę leges tulit, ista non probatur.
Proinde spatiosa illa deorsum ad perniciem ten
dente nobis interdicta via, intrate (inquit) per
angustam & arctam portam. Vnum igitur ex il
lis institutis, quæ recte per laborem exercentur,
& hoc existimemus, vt reiectum è vita atq; exo
letum Mandatum in consuetudinem inducamus,
& naturalem offensionem, atq; fastidium animi,
quo ab illo abhorremus, exercitationis assiduita
te leniamus, & emendemus. Magna est consue
tudinis vis, & rebus etiā difficilioribus solet vo
luptatem quandam aspergere. Quamobrem ne
quis amplius Mandatum esse difficile ac laborio
sum obiciat. Sed potius omnes vtile ac fructuo
sum illud rectè obeuntibus fateatur. Et quoniam
apparet lucri magnitudo, labor omnis alacriter
fusiapiatur. Nam quod principio molestum & ar
duum videtur, id ipsa dies & cōsuetudo facile ac
iucundū efficiet. Iam verò si iis, quæ dicta sunt,
volumus aliquid adiungere, misericordiam erga
calamis

calamitosos in hac item vita frugiferam esse re-
 periemus. Nullus est enim, qui sapiat, quin tanq̃
 egregium pr̃emium ante reconditum putet id,
 quod in alterius calamitatibus humaniter & be-
 nignè confertur. Quoniam enim humana omnia
 moderatur vna eademq̃ natura, & sibi perpetuò
 prosperas & secundas res fore, certum est nemini,
 in omni vita Evangelicum illud pr̃ceptum ex-
 pedit meminisse, vt, quæ volumus, vt faciant no-
 bis homines, eadem faciamus. Mat.
th. 7. 6 Quandiu ergo fe-
 liciter nauigas, illi manum porrigito, qui naufra-
 gium fecit. commune est mare. tempestas com-
 munis, communis fluctuum perturbatio. saxa sub-
 vndis latètia, syrtes, scopuli, & omnia deniq̃ huius
 vitæ nauigationis incòmoda parem cunctis na-
 uigantibus metum iniiciunt. Dum integer es, dum
 vitæ pelagus tuto pertransis, ne inhumanè præ-
 tereas eum, qui prius nauem illisit. Quis tibi spò-
 sor, vt felicem nauigationem perpetuò sis habi-
 turus? Nondum in portum quietis appulisti. Nò-
 dum extra fluctuum periculum es còstitutus. Tibi
 nondum in loco tuto constitit vita. A dhuc in vi-
 tæ pelago iactaris obnoxius tempestati. Qualem
 te calamitoso præstiteris, tales erga te eos, qui si-
 mul nauigant, experieris. Omnes igitur in quie-
 tis portū secundo Sancti Spiritus afflatu proue-
 cti contendamus. Adsit diligens Mandatorum

exercitatio, & gubernaculum Charitatis. Quibus
adiuti tandem Promissionis Terram assequa-
mur, in qua sita est magna illa ciuitas, cuius
architectus & ædificator est CHRIS-

TVS Deus noster, cui
gloria in æternum.

AMEN.



NE RELINQVERENTVR INANES HÆ
pagina, *Christiane Lector, hæc pauca ex uarijs
locis diuinæ scripturæ collegimus, & hic imprimen-
da curauimus, quæ, ni fallor, omnibus tum diuiti-
bus, tum pauperibus prodesse plurimum possunt.*

- Iu. ii. f.** QVOD superest, date eleemosynā, et ecce oīa mūda sunt uobis.
Mat. BEATI misericordes, quoniā ipsi misericordiā consequentur.
th. 5. a. BEATVS uir, qui intelligit super egenum, & pauperem, in
psal. die mala liberabit eum Dominus
40. a. QVI despicit proximum suum peccat, qui autem miseretur pau-
Pro. peris, beatus erit.
nerb. EX substantia tua fac Eleemosynam, et noli auertere faciem tuam
14. c. ab ullo paupere, ita enim fiet, ut nec à te auertatur facies Domini.
Tob. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundan-
4. b. ter tribue. Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri
stude. præmium enim bonū tibi thesaurizas in die necessitatis. Quo-
niam **ELEEMOSYNA AB OMNI PECCATO
ET A MORTE LIBERAT,** & non patietur animam
ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo Eleemosyna
omnibus facientibus eam.

Bona

BONA est oratio cum ieiunio: et eleemosyna magis, q̄ thesauros Tob.
auri recondere: quoniam **ELEEMOSYNA A MORTE** 11.b.
LIBERAT; & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire
uitam eternam.

IGNEM ardentē extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis. **Eccle.**

FILI Eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne 3.d.
transuertas à paupere. Animam esurientem ne despexeris, & non **Eccle.**
exasperes pauperem in inopia sua. Cor inopis ne afflixeris. & ne 4.a.
protrahas datum angustianti. Rogationem contribulati ne abicias,
et ne auertas faciem tuam ab egeno. Ab inope ne auertas faciem tuā
propter iram, & ne relinquo querentibus tibi retrò maledicere.
Maledicētis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio.
Exaudiet autem eum, qui fecit illum. Congregationi pauperum affa-
bilem te facito. declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde
debitum tuum, & responde illi pacificè in mansuetudine.

PROPTER mādātū assume pauperē, et ppter inopiā eius, ne **Eccle.**
dimittas eum uacuum. perde pecuniam propter fratrem et amicum, 29.b.
& ne abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone thesaurū tuum
in præceptis Altissimi, et proderit tibi magis, q̄ aurum. cōclude ele-
emosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.
Eleemosyna uiri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi
pupillam conseruabit.

REX, consiliū meum placeat tibi. & peccata tua eleemosynis **Dan.**
redime, & iniquitates tuas misericordijs, pauperum. 4.e.

ATTENDITE, ne eleemosynam uestram faciatis coram ho- **Mat.**
minibus ut uideamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud **th. 6. a**
patrem uestrum, qui in cœlis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli
tuba canere ante te, sicut Hypocritæ faciunt in synagogis & in ui-
cis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico uobis recipiunt mer-
cedem suam. Te autem faciente Eleemosynam, nesciat sinistra tua,
quid faciat dextera tua, ut sit Eleemosyna tua in abscondito, & pa-
ter tuus, qui uidet in abscondito, ipse reddet tibi in manifesto.


HOMINIS cuiusdam diuitis uberes fructus ager attulit, & **Luc.**
cogitabat intra se dicens. quid faciam, quia non habeo, quo congregē **12. c. d.**
fructus meos? & dixit hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora

faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea
& dicam animæ meæ, anima habes multa bona posita in annos pluri-
mos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autē illi Deus, stulte hac
nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt?
Sic est, qui thesaurizat, & non est in Deum diues. Dixitq; ad disci-
pulos suos, ideo dico uobis nolite solliciti esse animæ uestre, quid man-
ducetis, aut corpori uestro, quid induamini. Anima plus est q̃ esca, et
corpus plus, q̃ uestimentum. Considerate coruos, quia non seminant,
neq; metunt, quibus non est cellarium, neq; horreum, & Deus pascit
illos, quanto magis uos pluris estis illis. Quis autem uestrum cogitã-
do potest adijcere ad staturam suã cubitum unum? Si ergo neq; quod
minimum est, potestis, quid de cæteris solliciti estis? considerate lilia,
quomodo crescunt, non laborant, neq; nent, dico autē uobis neq; Sa-
lomō in omni gloria sua uestiebatur, sicut unum ex istis. Si autem fœ-
num, quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic
uestit, quanto magis uos pusillæ fidei. Et uos nolite quærere, quid
manducetis, aut quid bibatis, & nolite in sublime tolli. Hæc enim
omnia gentes mudi quærunt. Pater autem uester scit, quod his omni-
bus indigetis. Veruntamen **QVAERITE PRIMVM RE-
GNVM DEI, ET IUSTITIAM EIVS, ET HÆC
OMNIA ADIIICIENTVR VOBIS.** Nolite timere
pusillus grex, quia complacuit patri uestro dare uobis re-
gnum, uendite, quæ possidetis, & date eleemosynam,
facite uobis sacculos, qui non ueterascunt, thesau-
rum nō deficientem in cælis, quò fur nō op-
propiat, neq; tinea corrumpit. **VBI
ENIM THESAURVS VESTER
EST, IBI
ET
COR VESTRVM
ERIT.**

Patavij Iacobus Fabrianus Excudebat

Prid. No. Sept. M. D. L.

三



Osrednja knjižnica Srečka Vilharja Koper
Biblioteca centrale Srečko Vilhar Capodistria



800009355

Handwritten mark resembling a stylized 'E' or '3'.

